



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 2. Tertium genus Christianorum describitur

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**



rentur cæteri, qui eos vident, & fateantur imbecillitatem suam, quia ad tantam perfectionem pervenire non possunt. Sed horum numerus ad paucissimos redigitur, & vulgo ignotos, qui sibi ac mundo mortui & crucifixi, vitam degunt absconditam cum Christo in Deo.

Alterum illos complectitur, qui orthodoxæ fidei professione contenti his rebus duntaxat, quæ foris apparent, Christiani hominis officia contineri arbitrantur; timentes quidem Deum, sed & cupiditatibus suis tanquam idolis suis servientes. Ad Sacramenta frequenter accedunt, sed tanta animi remissione & socordia, ut ex frequentia nihil proficiant: à gravioribus peccatis abstinere satagunt, leviora negligunt: exteriores religionis actus non omittunt; sed terrenis affectibus immerfi, sibi que semper & propriis commodis addicti, quid sit vita interior, quid perfectio Christiana, quid ascensus mentis in Deum, quid abnegatio rerumque omnium abdicatio, sine qua neminem posse suum esse discipulum toties Christus docuit, aut prorsus ignorant, aut discere nolunt: & si quis eis sanctioris vitæ documenta proponat, illa ad Monachos & Anachoretas ablegant, stulto & lacrymabili errore decepti.

Tertium genus illos omnes comprehendit, qui ideo Christiani dicuntur, quia à Christianis parentibus orti, & aquâ baptismatis regenerati inter Christianos commorantur: moribus autem deteriores sunt infidelibus, improbi, sceleribus pleni, abominabiles, quorum immensa multitudo est.

§ II. *Tertium genus Christianorum describitur.*

**H**I sunt qui ore Deum fatentur, factis negant: corpus enim suum ejusque commoda nimis amantes, & sæculi legibus pertinaciter adhærentes contra Evangelicam veritatem ita se obdurant, ut se esse Christianos penè erubescant. Fovent quotidie peccata sua, & flagitiis in consuetudinem versis etiam verecundiam perdiderunt.



Nihil sapiunt nisi terram, bonaque & mala solius corporis voluptate perpendunt, & sic omnes vitæ suæ actus disponunt, ut veluti bruta animalia corporis sensibus obsequantur. Maximum bonum judicant opes, quas si bonis artibus nequeunt, malis assequi student. Nihil illis turpe, nihil indignum, dummodo pecuniis affluant, & dignitatibus, quibus ad injuriam Creatoris sacrilegè abutuntur; & quod olim de quibusdam Græcis dictum legitimus, ædificant quasi semper victuri, vivunt quasi altera die morituri. Hæc autem faciunt, quia verbis Domini non credunt, & humanæ conditionis obliti longam sibi annorum seriem pollicentur. Quiescunt in rebus transeuntibus, quæ rursus ab aliis occupandæ sunt, nihil solliciti de permanentibus, quia de æternitate non cogitant. Torquet illos ambitio, dissolvit libido, inflat superbia, lacerat invidia, agitant cupiditates, & justitiæ fastidio laborantes sic Dei mandata averfantur, ut ferè etiam execrentur. Clamat Christus beatos esse pauperes, beatos qui lugent, qui persecutionem patiuntur: isti ex adverso beatos illos dicunt, qui divitiis ad satietatem abundant, qui super alios dignitate eminent, quos omnes venerantur. Edixit ille suum discipulum esse non posse, qui non renuntiat omnibus quæ possidet: isti quæ habent cum amore retinent, cum dolore amittunt; imò & aliena concupiscunt, & si nemo prohibeat, cum injuria rapere parati sunt. Aliqui etiam Ecclesiæ addicti, qui solum Christum partem suam esse professi sunt, suæ promissionis immemores nummos non cessant nummis addere, possidentes sæpenumero sub Christo pauperes quæ sub locuplete mundo non habebant. Præceptum Domini est, ut diligamus inimicos nostros, atque his, qui nos oderunt beneficia rependamus: isti & odio habent, & contumelia afficiunt, & si factis nequeunt saltem animo offendunt. Jubet ille, ut auferenti tunicam dimittamus & pallium; ut dex teram maxillam percutienti sinistram præbeamus: quis est qui obtemperet? imò quis est qui hoc sive mandatum, sive



consilium non contemnat, non irideat? Percurrat qui voluerit Christi Evangelium, ejusque sectatores recenseat, paucissimos reperiet, qui ad ejus præscriptum vivant, qui ipsum quâ par est æstimatione, & veneratione prosequantur. Sed nec legere, nec audire dignantur, & iniquas mundi fabulationes, atque insanias falsas verbo Dei anteponunt, vel ex hoc ostendentes se ad illos pertinere, qui verba Dei non audiunt, quia ex Deo non sunt. Cùm sit igitur hominis Christiani Deo fideliter credere, ejus consiliis obsequi, ejus parere mandatis; sit absque dubio, ut qui hæc spernit & conculcat, Christianus non sit: fides enim sine operibus mortua est, nec quicquam prodest magni nominis prærogativa, si mores illi & officia non consentiunt. Inter Christianum & infidelem non sola fides discrimen ponere, sed vita etiam & mores debent, ut vera religio à falsa operibus distinguatur. Qualis enim fides illorum esse potest, qui sic Deo credunt, ut ejus mandata contemnant? Similes dæmoni isti sunt, qui credit & contremiscit: atque utinam deteriores non essent, nam dæmon credulitatem habet & timorem: hi fidem jactant, timorem non habent.

§. III. *Peccatum originale causam esse omnium malorum.*

**C**Ausam hujus pravitatis nemo potest ignorare, cui nota sit primi hominis prævaricatio. Amisssa enim justitia originali in tot mala incidit vitiatae naturæ massa damnata, ut eorum multitudo omnem vincat eloquentiam. Hinc vita traducitur plena laboribus, & doloribus plena vitiis & iniquitatibus, suoque ponderi proclivis ad malum. Hinc horrenda illa profunditas ignorantiae, quæ mentem nostram tenebrosa quadam caligine involvit: hinc cæca & indomita concupiscentia, quæ animam deprimat & affigit humi. Hinc aversio à Deo & amor rerum pereuntium, atque ex hoc mordaces curæ, insana gaudia, lites, discordiæ, rixæ, hæreses, sacrilegia, infandæ libidines, ac totius ferè humani generis æterna damnatio. Illa siquidem fuit impiæ